



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

270. Christus trinam Petri negationem ter præcidit.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Et dixit ei Iesus : Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus : Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret. *Ioan. 13. 6. 26. 27. 28. 29.*

II I. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. Erat autem nox. *Ioan. 13. vers. 30.*

MEDITATIO CCLXX.

Christus trinam Petri negationem ter predicat.

Prima Predictio.

I. Cùm ergo exisset, dixit Iesus : Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me : & sicut dixi Iudæis : Quò ego vado, vos non potestis venire : & vobis dico modò. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quò vadis ? Respondit Iesus : Quò ego vado, non potes me modò sequi : sequeris autem postea. Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modò ? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus : Animam tuam pro me pones ? Amen, amen dico tibi : Non cantabit gallus, donec ter me neges. *Ioan. 13. 6. 31. 33. 36. 37. 38.*

Sec

Secunda Prædictio.

II. Ait Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit : Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec rer abneges nosse me. *Luc. 22. v. 31. 32. 33. 34.*

Tertia prædictio.

III. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Iesus : Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte, Scriptum est enim : Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus : Amen. dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. *Matth. 26. v. 30. 31. 32. 33. 34. Marc. 14. v. 26. 27. 28. 29.* Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. *Marc. 14. v. 30.* At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me simul commori

mori tibi, non te negabo. *Marc. 14. v. 31.*
Matth. 26. v. 35. Similiter & omnes disci-
puli dixerunt. *Matth. 26. v. 35.*

MEDITATIO CCLXXI.

*De discessu Christi è canaculo
in hortum.*

Iesus egressus ibat secundum consuetudi-
nem in montem olivarum. Secuti sunt
autem illum & discipuli. *Luc. 22. v. 39.*
Hæc cum dixisset Iesus, egressus est cum di-
scipulis suis trans torrentem Cedron, ubi
erat hortus, in quem introivit ipse, & disci-
puli ejus. Sciebat autem & Judas, qui tradebat
eum, locum: quia frequenter Iesus conve-
nerat illuc cum discipulis suis. *Ioan. 18. v.*
1. & 2.

II. Tunc venit Iesus cum illis in villam,
quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis
suis: Sedete hîc, donec vadam illuc, &
orem. *Matth. 26. v. 36.*

III. Et assumpto Petro, & duobus filiis
Zebedæi, coepit contristari, & mœstus esse.
Matth. 26. v. 37. Coepit pavere, & tædere.
Et ait illis: Tristis est anima mea usque
ad mortem. Sustinete hîc, & vigilate, *Marc.*
14. vers. 33. & 34. mecum. Matth. 26. v.
38.